



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Jacobus Intercisus. M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. JACOBUS INTERCISUS M.

27. Novembris.

JACOBVS inter proceres Persarum facile princi-
eps, regique Isdegerdi unicè charus, ut huic
fidem suam probaret, Christo datam abjuravit,
communi aulicorum vitio abreptus, qui hodie
ctiā quosvis mores in rege DEOS putant, & DEOS
adorant. At mater conjunxque JACOBI, nobilis
utraque & Christiana matrona, non ferendū faci-
nus ratæ, literas dignas se ad eumdē scripserunt.
In his & sinu mater & thalamo conjunx proscri-
bebat. Neque enim mater agnoscere ajebat se fi-
lium præter eum, qui suo in vultu patris matrisq;
vultum, hoc est, Christianum, ostenderet. Ubera
sua si bibisset, spiraturum, quam cum lacte instil-
lasset pietatem. Scire cælo se filium genuisse, non
terræ, qui Superis bellum indiceret. Abortum
proinde esse, quem nunc Jacobum dicerent,
ideoque abjicere hunc sese. At conjunx desperare
se de thori socio scribebat, qui ipsam fidem adul-
terasset; nimirum qui hanc frangere immortali
DEO non dubitasset, mortali servaturum; san-
ctamque castitatē habiturum, qui Numina Vene-
rem adulteram, qui vagum Amorem coleret? Qui
igitur & filium & conjugē exuisset, nomina quo-
que tam splendida poneret, nec alias dici quām
esse vellet. Habuere momentum literæ, amore
dictante & lacrimis suggerentibus atramentum
scriptæ, & recepit meliorem mentem JACOBVS,
palamque Christianum iterum se confessus, no-
vem horarū carnificinā, manuum primò pedum-
que articulis, tum brachiis surisque, ultimò ca-
pite truncatus atrum factum nuperum omni san-

B b 2 guine

guine oblitteravit. Ex Niceph.

Dignus planè est morte, qui tibi Domine JESU recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, despiciat: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est: denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? S.Bern. serm. 20. in Cant.

SS. BARLAAM & JOSAPHAT CC.

27.Novembris.

ETiam Indis pulchra jam olim fuit juventus. Princeps hujus memoratur JOSAPHATVS regis Abenneris filius, voluptatibus ab ipsis cunabulis innutritus, & ne, quid miseria humana esset, vel nosse posset, procul ab oculis aliorum, inter omnes illecebras educatus. In tam blando carcere agentem adiit BARLAAMVS Eremi incola gemmarum mangonem præferens. Certè nobilissimam illi gemmam fidem vendidit. Mox cum deambulatum produxisset cupidum, in homine primùm mendico, tum leproso, in decrepito denique sene ad eum diem numquam visis, mundi vultum & ementitum colorem, velut in minime mendaci speculo ostendit. Laborabat itaque nequidquam parens, vel ad Deos filium, vel ad voluptates iterum abducere. Frustra absente BARLAAMO nescio quis impostor, qui vultum hujus quam simillime referebat, alia velle docere aggressus est; cum ita Numine volente palam pro Christo loqui lingua subdola cogeretur. Frustra & Theodas magus ab orco auxilia evocavit, & regia puella blanditias admovit, cum JOSAPHATVS, ostensis ab Angelo cælitum & inferorum sedibus, pluris orci pœnas, quam minas, pluris cæli gaudia, quam carnis fallacias ficeret. Tandem in melio-